

Objic. 8.^o Impossibile est operationes vegetativas ab anima rationali procedere. Ergo alia in homine præter rationalem animam asserenda est. Prob. anteced. α) Nam anima rationalis sentire debet quicquid operatur; operationes autem nutritivas non sentit. β) Embryo antequam anima rationali informetur, jam vegetat. γ) Operationes nutritivæ peraguntur etiam nolente voluntate. δ) In hominis cadavere interdum succrescere cernuntur capilli et unguis. Ergo istæ omnes operationes non sunt in homine a rationali anima.

Respondeo, *neg.* antec. Ad probat. α) *neg.* assert., vel *dist.* Anima rationalis sentire debet quicquid cognoscibiliter operatur, *trans.*; quicquid non cognoscibiliter operatur, *neg.* Nihil enim vetat animam continere virtutem elicendi non solum operationes ordinis intentionalis et cognoscitivi, sed etiam ordinis naturalis seu non cognoscitivi, quales sunt vegetativæ. Nihil ergo mirum, si hujusmodi operationes producat fere sicut eas producant formæ pure vegetales, nimirum non sentiendo, vel consciendo illas, nisi forte cum perturbate fiunt, tunc enim hujusmodi perturbationes afficiunt organa interna sensitiva, et percipiuntur ab anima, ut quisque novit experientia (1).

Ad probat. β) *trans.* Id enim dependet ab illa quæstione, utrum inde ab initio infundatur embryoni anima rationalis, an vero prius præcedat vegetativa et mox sensitiva: de qua quæstione inferius aliquid dicitur. In prima sententia, solam rationalem infundi docente, *negandum* est assertum; in altera, tres successive animas ponente in embryone, *concedendum* est assertum, sed neganda consequentia, quia qui talia docent, iidem contendunt, idque necessario asserendum est, animam inferiorem, perfectiori adveniente, perire. Ad probat. γ) *concedo* assertum, et *neg.* onseq.: id enim non probat operationum nutritivarum non esse principium animam rationalem, sed tantum eas a voluntate non pendere, quod ultro concedimus. Ad probat. δ) *neg.* onseq., *transmisso* asserto, de quo quid sentiendum sit, in sequenti capite dicendum erit, ubi de partibus corporis animatis ab anima rationali disputabitur.

(1) *Cir. Psycholog.* vol 1.^{um}, num. 24, pag. 95; vol 2.^{um}, num. 294, pag. 95 initio.

Objic. 9.^o Si anima rationalis in homine foret etiam principium sensationis et vegetationis, anima a corpore separata posset hæc operationes exercere. Atqui certum est animam separatam a corpore non posse sentire, nec vegetare. Ergo anima rationalis non est principium sensationis et vegetationis in homine, cui proinde aliæ animæ inferiores asserendæ sunt præter intellectivam.

Respondeo, *neg.* Majorem, quia sensitio et vegetatio sunt operationes organicæ vel compositi, quemadmodum docuimus in primo *Psychologiæ* volumine: ideoque non possunt exerceri sine concursu corporis, ex cuius defectu anima separata nequit sentire nec vegetare.

Objic. 10.^o Una eademque forma nequit esse in diversis generibus et speciebus. Atqui si anima rationalis esset principium sensationis et vegetationis, constitueretur in diversis generibus et speciebus. Ergo...

Respondeo 1.^o, *negando* suppositum, quia animæ, ac generatim formæ materiam informantes, utpote incompleta entia, proprie non sunt in genere vel specie, sed tantum reductive; cum enim constituent entia, quæ in prædicamento directe constituuntur, ipsæ etiam ad idem prædicamentum pertinere dicuntur (1).

Aliæ objectiones videri solutæ possunt apud S. Thomam (2): illas etiam habere præ oculis oportet, quæ alibi in similibus quæstionibus enodate sunt (3).

ARTICULUS III.

Utrum eadem anima rationalis sit in pluribus hominibus, an vero multiplex pro numero corporum humanorum.

Duplici modo negatam reperio animæ rationalis distinctionem pro singulis hominibus individuis, primo per intellectum separatum Averrois, qui sit substantia quædam

(1) Vide *Ontolog.* num. 272, pag. 787.

(2) *Quest. disput.*, quest. de anim., art. 11.

(3) Vide *Psycholog.* vol 1.^{um}, num. 57, pag. 252 seqq.; num. 60, pag. 264 seqq.

separata una existens simul in omnibus hominibus: secundo per migrationem animarum seu *metempsychosim* Pythagoræ ac Platonis, secundum quam una eademque anima successive transeat ex uno in aliud corpus. Uterque error seorsim repellendus est.

§. 1.—INTELLECTUS SEPARATUS AVERROIS.

196. Duos errores docuit Averroes relate ad animam humanam; primum illum, quem in præcedenti articulo confutavimus, nempe præter intellectivam dari sensitivam et vegetativam, secundum: animas quidem sensitivam et vegetativam diversas esse in diversis hominibus, intellectivam autem unam numero in cunctis eandemque (1). Finit videlicet esse in homine primo animam quamdam sensitivam, quæ materiam informans, hominem in sua specie constituit ceu vera forma substantialis illius, quæque quamvis perfectior sit anima brutorum, non tamen gradum spiritualem attingit, sed mortalis est, ejusque princeps potentia nominatur *cogitativa* seu *intellectus passivus* aut *ratio particularis* (2), per quam sortitur homo suam speciem, et distinguitur a brutis (3). Præter hujusmodi animam sensitivam, admittendam esse contendit aliam intellectivam, nempe intellectum possibilem, quæ non sit forma informans materiam uniendo se illi substantialiter, sed forma quedam vel substantia separata, quæ una numero cunctis assistat hominibus (4), præsentiam suam illis exhibendo, et cognitionem

(1) Hunc alterum errorem præformatum quodammodo jam fuisse ab Avempace, docet nos ipsemet Averroes apud cardin. Gonzalez (*Historia*, tom. 2, paragr. 96, pag. 465). Immo vero illam longe prius (sæc. IV) a Themistio propugnatam esse scribit card. Toletus (*de anim.*, lib. 2, quest. 2).

(2) Vide *Psycholog.* vol. 2.^{um}, num. 210, pag. 742.

(3) Vide S. Thom., *Contr. Gent.* lib. 2, cap. 60 initio. Cfr. Conimbricenses, *de anim.*, lib. 2, cap. 1, quest. 7, art. 1.

(4) Inolevit jamdudum circa intellectum error apud multos ex dictis Averrois sumens exordium, qui asserere nituntur, intellectum, quem Aristoteles possibilem vocat, ipse autem inconvenienti nomine *materiale* (al. *immateriale*), esse quamdam substantiam secundum esse a corpore separatam, et aliquo modo uniri ei ut formam, et ulterius quod intellectus possibilis sit unus omnium. S. Thom., opuscul. *de unit. intellectus contra Averroistas*, statim ab initio.

intellectualem illis communicandò; eandemque, quamvis sempiterna sit, non inde ab initio existere in homine, sed advenire singulis individuis tum cum cogitativa et phantasia cujusque apta est præbere illi materiam, qua eget ad operationes suas intellectuales exercendas. Et in hoc videtur Averroes unionem intellectus cum homine reposuisse; dixit enim intellectum separatum continuari vel uniri cum singulis individuis hominibus per phantasmata: nam intellectio, quæ functio propria est intellectus istius separati, in nobis non fit nisi per communicationem phantasie cum intellectu mediis phantasmatibus, ut enim intellectio peragatur, debet intellectus agens luce sua collustrare phantasmata, et sic abstrahere species, quibus cognoscat intellectus possibilis, intelligibiliter representando objecta in phantasmatibus singulariter et sensibiliter relucencia: quare dicitur intellectus separatus uniri et continuari cum singulis hominibus medio phantasmate (1). Cumque homo moritur, perit anima ejus sensitiva informans, hæc vero alia intellectiva communis omnium recedit, et sic cessat omnis tum sensitiva tum intellectiva cognitio et conscientia suarum actionum in mortuo (2). Si porro quæras, quo pacto in hoc systemate diversitas intellectuum in diversis hominibus intelligi queat, res explicatur exemplo. Sicut enim «idem ventus pro varietate fistularum organi musici multiplices producit sonos» (3); ita etiam idem intellectus pro diversitate phantasmatum in aliis hominibus alia intelligere potest, et proinde diversarum cogitationum conscientiam habere. En celebre Averrois commentum de intellectu separato, sæpe ab Angelico Doctore confutatum (4) et ab Alberto M. (5), quod postea saculo XV Averroistæ multi

quam plures
sæc. XV
revocharunt.

(1) Vide Conimbricenses, loc. sup. cit.

(2) Vide cardin. Tolet. (*de anim.*, lib. 2, quæst. 2), card. Gonzalez (*Historia*, tom. 2, paragr. 96; et tom. 3, paragr. 9).

(3) Liberatore, *Psychologia*, num. 145, pag. 351. Romæ, 1881.

(4) Vide S. Thom. *Contr. Gent.* lib. 2, cap. 59, 73 et 75, quest. *de spirit.*, creat. art. 9, quest. *de anim.*, art. 3; 1 p. quest. 76, art. 2; 2.^a dist. 17, quest. 2, art. 1.

(5) In suo tract. *Contr. unitat. intellectus*.

profitebantur tenendum esse saltem secundum Philosophiam (1), et a Leone X, Pontifice Maximo, in Lateranensi concilio V anathemate confixum est ann. 1513. Hæc doctrina tribuitur etiam Hieronymo Cardano (2) et Petro Pomponatio, verum hic postremus quamquam animam quidem humanam mortalem crediderit, ob idque in eodem concilio damnatus sit, averroisticum vero de intellectuali anima figmentum non solum non propugnavit, verum etiam acriter impugnavit (3). Cæterum cardin. Toletus (4) et Valentia (5) referunt quosdam, ut Picum Mirandulanum et Achillinum, ita averroisticum intellectum profesos esse, ut non simpliciter assistat, sed unus omnes prorsus homines informet.

Avicenna omnia
unum in
omnibus agnos-
cos intellectum
agentem.

Sicut Averroes posuit unum omnium intellectum possibilem, ita alii, ac potissimum Avicenna, voluerunt unum esse omnium intellectum agentem (6), quem quidem putarunt esse angelum aliquem (7), et Avicenna vocavit *cholodeam*, ejusque officium esse tribuere intellectui humano species intelligibiles impressas, prout alias retulimus (8). Verum jam ostendimus in eodem loco intellectum agentem non esse intelligentiam aliquam separatam, sed virtutem animæ rationalis propriæ cuius homini (9), præter quam nullus alius intellectus, agens ponendus est ad constitutionem hominis pertinens, sed tantum Deus, qui est *prima lux omnes communiter illuminans* (10), nimirum non tamquam causa particularis, sed tamquam causa *universalis* et *prima*, quæ sicut aliis rebus suas tribuit virtutes activas, ita nostræ animæ

(1) Præcipuos scholæ averroisticæ duces vide apud card. Gonzalez, loc. cit. paragr. 10.

(2) Vide card. Gonzalez, ibid. paragr. 15.

(3) Vide id probatum apud card. Gonzalez, loc. cit., paragr. 7.

(4) Toletus, *de anim.*, lib. 2, quæst. 2, *Quinta opinio...*

(5) In 1.^{am} part. disp. 6, quæst. 2, punct. 2 fin.

(6) Quam sententiam ipsi quoque Averroei placuisse retulimus in vol. 2.^a *Psychologie*, num. 131, pag. 458 in nota (5).

(7) S. Thom., quæst. *de anim.*, art. 5; 1 p. quæst. 84, art. 4.

(8) Vide *Psycholog.* vol. 2.^{am}, num. 131, pag. 457; 458.

(9) Vide *Psycholog.* num. 134, pag. 472 seqq.

(10) S. Thom., quæst. *de anim.*, art. 4, ad 7.^{am}

impressit suum lumen intellectuale, quo et species a phantasmatis abstractat, et mox per easdem intelligat, prout docet S. Thomas (1).

Multiplicitatem animæ rationalis in diversis hominibus etiam negant generatim pantheistæ, sicut individualem ac personalem multitudinem rerum aliarum. Verum cum Averrois commento quamdam cognationem habere videtur systema illud Schellingi unum principium absolutum stautentis quod sub forma subjectiva et objectiva, spiritus et materiæ sese manifestat (2); multoque magis averroisticam doctrinam sapere videtur *Ratio impersonalis* Victoris Cousini, quam alibi descripsimus et explosam reliquimus (3). Quoniam autem intellectu agentem Avicennæ jam refutavimus in præcedenti volumine, non est nunc iterum in trutinam revocandus; quomobrem solus error Averrois repellendus nobis est.

Alii unum
solum
intellectum re-
centibus
temporibus ad-
mittentes.

197. PROPOSITIO 1.^A. Adversus absurdum et stultissimum Averrois commentum multiplex in diversis hominibus pro corporum, quibus infunditur, multitudo essenda est anima rationalis.

Propositio est de Fide ex Bulla Leonis X *Apostolici regimini* in concilio Lateranensi V., ex quo probari 1.^o potest; nam pro christiano philosopho firmissimum veritatis argumentum esse debet, etiamsi alia deessent, quæcumque definitio Sanctæ Matris Ecclesiæ. Decretum Leonis sic se habet: *Cum itaque diebus nostris (quod dolenter referimus) zizaniam seminator, antiquus humani generis hostis, nonnullos perniciosissimos errores, a fidelibus semper explosos, in agro Domini superseminare et augere sit ausus, de natura præsertim animæ rationalis, quod videlicet mortalis sit, aut unica in cunctis hominibus; et nonnulli temere philosophantes, secundum saltem philosophiam, verum id esse asseverent; contra hujusmodi pestem*

Anima rationalis
multiplex est
pro
multitudine
hominum.

(1) S. Thom. 1 p. quæst. 79, art. 3 fin. corp., et ad 1.^{am}; quæst. *de spirit. creat.*, art. 10 fin. corp., et ad 1.^{am}; quæst. *de anim.*, art. 4, ad 7.^{am}.

(2) Vide *Cosmolog.* num. 30, pag. 111 seqq.

(3) Vide *Psycholog.* num. 331, pag. 1080; num. 332, pag. 1091, 1092.

opportuna remedia adhibere cupientes, hoc sacro approbante concilio, damnamus, et reprobamus omnes asserentes, animam intellectivam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus, et hæc in dubium vertentes: cum illa non solum vere per se et essentialiter humani corporis forma existat, sicut in canone felicis recordationis Clementis Papæ V. prædecessoris Nostri in generali Viennensi concilio edito continetur; verum et immortalis, et pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis, et multiplicata, et multiplicanda sit...

Cumque verum vero minime contradicat, omnem assertionem veritati illuminata fidei contrariam omnino falsam esse definimus, et, ut aliter dogmatizare non liceat, districtius invidemus: omnesque huiusmodi erroris assertionibus inhaerentes, veluti damnatissimas hereses seminantes, per omnia ut detestabiles et abominabiles hereticos et infideles, catholicam fidem labefactantes, vitandos et puniendos fore decernimus (1).

Doctrina vero hæc dissertissimum habet in Sacris Litteris fundamentum. Nam: *Iustorum animæ in manu Dei sunt* (2). *Nolite contaminare animas vestras* (3). *Lex Domini immaculata convertens animas* (4). *Tollite jugum meum super vos, et invenietis requiem animabus vestris* (5), etc. etc.

Prob. 2.^o Homo essentialiter constituitur per animam rationalem seu intellectivam. Atqui nihil essentialiter constitui potest per aliquid extrinsecum. Ergo anima intellectiva hominis propria nequit esse intellectus separatus.

Minor constat, **Major** vero vix eget probatione. Nam principium primum operationum præcipuarum ac differentialium, per quas a reliquis omnibus entibus discrepat homo, debet profecto ad essentialia constitutum hominis pertinere. Atqui operationes præcipuæ ac differentiales hominis sunt operationes potentiarum rationalium, intellectus et voluntatis, quarum quisque sibi conscius est; eorum autem primum

(1) Vide apud Denzinger, num. 621, pag. 173, 174.

(2) Sap., cap. 3, vers. 1.

(3) Levit., cap. 11, vers. 43.

(4) Psalm. 18, vers. 8.

(5) Math., cap. 11, vers. 29.

principium non potest esse nisi anima intellectiva seu rationalis. Ergo anima rationalis vel intellectiva est essentialia hominis constitutum (1). Unde

Prob. 3.^o cum P. Gregorio de Valentia: «Tot numero sunt animæ rationales distinctæ, quot sunt homines individui distincti numero. Sed homines individui distincti numero sunt tot, quot sunt humana corpora. Ergo etiam animæ rationales sunt tot, quot sunt corpora humana. **Major** probatur. Nam ut homo secundum naturam specificam constat ex corpore et anima humana, ita etiam homo individuus constat ex hoc corpore et ex hac anima. Ergo sicut impossibile est, ut homo, quatenus specie differt ab aliis animalibus, non habeat animam specie differentem ab animabus illorum; ita est impossibile, ut homo individuus numero differens ab aliis individuis hominibus, non habeat distinctam numero animam ab aliis. **Minor** autem evidens est per experientiam. Videmus enim tot esse diversa numero principia distinctarum numero operationum humanarum, quot sunt corpora humana diversa. Id autem in unaquaque specie appellamus individuum distinctum, a quo cernimus proficisci diversas numero operationes convenientes naturæ illius speciei» (2).

Prob. 4.^o Quisque conscit operationes omnes sive intellectus sive voluntatis esse suas, nempe a se procedere efficienter, et in se recipi. Atqui ejusmodi phænomenum explicari non posset, si principium istarum operationum esset intellectus aliquis separatus, qui solum assistat nobis ac tantum uniat in ordine ad intellectionem, videlicet medijs, phantasmatis, ex quibus species intelligibiles abstrahat. Ergo...

Major luce meridiana splendidius elucet. **Minor** vero probatur. Nam conscientia, quam nos habemus, est operationum duntaxat *nostrarum*, non autem operationum alicujus *nobis assistentis*. Jam vero, admissio averroistico somnio, *nostræ* non possunt dici nisi operationes animæ sensitivæ, quarum perfectissimæ sunt phantasmata et actus cogitativa

(1) Cfr. S. Thom., *Contr. Gent.*, lib. 2. cap. 59, *Item, ubi inventur...*; et toto cap. 60.

(2) Valentia, In 1.^{am} part. disp. 6, quest. 2, punct. 2, paragr. *Tertio probatur*. Cfr. S. Thom. *de spir. creat.*, art. 9, *Secundo, via impossibile...*

distincti ab actibus intellectivis: nec aliter quisque nostrorum concurret ad intellectiones, nisi quatenus suppediat phantasmata, ex quibus intellectus abstrahat species sibi ad intelligendum necessarias. Atqui impossibile est, ut quispiam vere intelligere dicatur, ac proinde intellectionem ut suam experiatur ex eo solum, quod alicui intellectui nobis assistenti suppediet phantasmata vel materiam, ut ita dicam, intelligendi, unde species ille desumat. Ergo in systemate Averrois non possemus intellectiones et volitiones experiri ut nostras (1). Hinc e converso sequitur, si quis suas possit intellectiones et volitiones cognoscere, debere ceterorum etiam omnium cognoscere intellectiones et volitiones, ut jam ostendo.

Prob. 5.^o Si una esset in omnibus anima rationalis, cujuslibet hominis operatio intellectus et voluntatis aequae ad omnes homines pertineret, et a singulis per suam conscientiam percipi ut suum posset quicquid a quocumque homine per intellectum et voluntatem efficitur. Atqui hoc et absurdum dictum est, et contra experientiam.

Prob. Majorem. Nam admissa una in cunctis anima, non est nisi unus intellectus, qui omnes in omnibus efficiat intellectiones ac volitiones, easque per conscientiam in se experiatur. Ergo omnes intellectiones et volitiones cujuslibet hominis sunt operationes unius ejusdemque intellectus et ab uno eodemque per conscientiam percipiuntur, ubicumque

(1) Vide S. Thom., *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 59, *Præterea, sic species intellecta in actu...* Et alibi: *Ista continuatio, inquit Angelicus, vel unio non sufficit ad hoc, quod actu intellectus sit actio Socratis. Et hoc patet per similitudinem in sensu, ex quo Aristoteles procedit ad considerandum ea, quæ sunt intellectus. Sic enim se habent phantasmata ad intellectum, ut dicitur (De anima, lib. III, text. 18 et 30), sicut colores ad visum. Sicut ergo species colorum sunt in visu, ita species phantasmatum sunt in intellectu possibili. Patet autem, quod ex hoc quod colores sunt in pariete, quorum similitudines sunt in visu, actio visus non attribuitur parieti; non enim dicimus, quod paries videat, sed magis quod videtur. Ex hoc ergo quod species phantasmatum sunt in intellectu possibili, non sequitur quod Socrates, in quo sunt phantasmata, intelligat, sed quod ipse vel ejus phantasmata intelligantur.* S. Thom. 1 p., quest. 76, art. 1. Cf. quest. de anim., art. 3, *Hoc autem inconveniens...*

tandem fieri ejusmodi intellectus. Ergo quicumque suas intellectiones et volitiones conscit, aequae potest etiam intellectiones et volitiones cujuslibet alterius conscire (1).

Dices, ideo non esse intellectiones cujuslibet communes omnibus, nec a cæteris hominibus per conscientiam renuntiari, quia non omnibus sunt communia phantasmata, quorum ministerio species intelligibiles abstrahuntur, atque adeo intellectiones perficiuntur.—**Verum respondeo** id nihil referre, quia phantasmata non sunt potentia elicitive intellectionum, sed tantum ministra materiam porrigentia et instrumentaliter concurrentia ad producendas species impresas, quibus receptis solus intellectus mox intellectiones efficit. Ac proinde fere se habent phantasmata respectu intellectionis, sicut corpora colorata respectu visus: quemadmodum enim corpora colorata species imprimunt visivæ potentiae, a qua videntur, ita phantasmata materiam et instrumentalem suam concursum præbent, ut ab intellectu agente abstrahantur species, quarum ope intellectus possibilis intelligat (2). Sicut ergo diversitas et multitudo atque distantia coloratorum non impedit, quominus omnia ab uno eodemque oculo referantur; ita diversitas phantasmatum in diversis hominibus officere nequit, quin intellectus, in sententia Averrois, sicut ex omnibus illis abstrahit unus idemque species, ita etiam omnia prorsus in illis relucentia unus idemque cognoscat, et se cognoscere consciat (3).

Prob. 6.^o ex variis aliis absurdis. α) Nam certum est hominem nec liberum esse nec capacem meriti ac demeriti, nisi quatenus intellectu pollens. Si ergo unus est omnium intellectus, vel singuli homines nihil peccabunt, aut merebuntur, nec ulla eis erit actio moraliter imputabilis, nimirum si vere ad singulos nequeunt spectare actus animi sibi duntaxat

(1) Vide S. Thom. 1 p. quest. 76, art. 3, corp. *Similiter etiam...* opusc. de univ. intellectus, circa m. c. Si quis autem dicat, et quest. de anim., *Sed adhuc aliquid difficultatis...*

(2) Vide *Psycholog.*, vol. 2.^{us}, num. 136, pag. 482 seqq.; et num. 137, pag. 487 seqq.

(3) Cf. S. Thom., *de anim.*, lib. 3, lect. 12; 2.^a dist. 20, quest. 2, art. 2, ad 2.^{am}, et aliis multis in locis citatis in *Psycholog.*, vol. 2.^o, num. 12, pag. 74, quem locum, sicut et pag. 75 et 480, vide si lubet.

assistentis, vel singuli peccabunt, et merebuntur, quidquid reliqui omnes peccaverint, vel meriti fuerint, nempe si ullius peccati vel meriti animæ istius separatæ participes esse queant. Atqui utrumque absurdissimum est et contra Fidem divinam; nam omnes et peccare et mereri possumus, et nemo reus esse potest alienorum, quæ aliquo modo non pendeant a propria et personali sua voluntate ac libertate. Ergo...

β) Quoniam anima rationalis in uno est fatua, in alio sapiens; in uno prudens, in alio imprudens; in uno justa, in alio peccatrix; in uno beata, in alio misera: eadem numero anima erit simul hisce realibus prædicatis contrariis prædita (1). γ) Mortuis singulis hominibus, nihil de illis remaneret præter unicum intellectum separatum, nam animæ sensitiva etiam secundum adversarios mortalis est. Ergo ubinam erunt præmia et supplicia, quæ merentibus in hac vita non dantur, sed in futurum reservantur, ut novimus ex Fide? An sola illa intellectus separati substantia præmiis ac suppliciiis diversorum hominum simul afficietur? Eritque tandem in æternum beata, an misera? Vide, quot absurda ex venenato fonte impii Commentatoris deriventur! (2).

Prob. 7.^o Ostensum est in præcedenti articulo rationalem animam esse in homine eandem cum sensitiva. Atqui hæc, etiam fatentibus adversariis multiplex est pro multitudine individuorum, et vere forma informans. Ergo anima intellectiva nec est una in cunctis hominibus, nec forma assistens.

Prob. 8.^o Sicut inferius ostendendum est, substantia intellectus unitur corpori humano ut forma. Impossibile est autem unam formam esse nisi unius materiæ, quia proprius actus in propria potentia fit; sunt enim ad invicem proportionata. Non est igitur intellectus unus omnium hominum (3).

Prob. 9.^o Ab eodem aliquid habet esse et unitatem, unum enim et ens se consequuntur. Sed unumquodque habet esse per suam formam. Ergo et unitas rei sequitur unitatem formæ. Impossibile est igitur diversorum individuorum hominum esse

(1) Cfr. S. Thom., quæst. de anim., art. 3 initio.
 (2) Cfr. Tolet. (loc. cit. paragr. Et contra sequeretur), Valentia (loc. cit., Quarta ratio...)
 (3) S. Thom., Contr. Gent. lib. 2, cap. 73, initio.

formam unam. Forma autem hujus hominis est anima intellectiva. Impossibile est igitur omnium hominum esse unum intellectum (1).

Plura reperies apud S. Thomam. Si vero scire cupias mentem Philosophi, ex quo innumera colligi loca queunt ad profligandum averroisticum figmentum, adi eundem S. Doctorem (2) et cardin. Toletum (3).

198. Objic. 1.^o cum Averroee. Omne quod numero multiplicatur, habet materiam, vel est immersum in materia. Atqui intellectus vel anima rationalis non habet materiam, sed est separata a materia, docente Aristotele. Ergo... (4).

Respondeo neg. Major., nam possunt multiplicari numero non solum formæ materiales, sed etiam immateriales, prout tenet communis sententia, solum relate ad formas informantes, qualis est rationalis anima. Quamvis circa radicem multiplicationis istarum formarum sit non parva dissensio auctorum, propter quam negant multi, asserentibus tamen aliis plurimis, formas non informantes, angelos nempe, multiplicari numerice posse intra eandem speciem. Verum de hoc paulo inferius dicendum aliquid erit. Quod vero Minorem attingit, anima rationalis non est separata a materia, quatenus non sit vere forma substantialis materiam informans, sicut mox demonstrabitur, sed quatenus non est forma materialis, sed immaterialis, ac proinde capax etiam subsistendi extra materiam.

Objic. 2.^o cum eodem. Anima est immortalis, et ab æterno creata secundum sententiam Aristotelis de æterna creatione mundi. Ergo si plures darentur animæ, existerent jam actu infinitæ. Atqui repugnat infinitum in actu. Ergo...

Respond. neg. alteram partem antecedentis, quia fide certum est mundum non esse ab æterno creatum, ut alibi docuimus.

Objic. 3.^o cum eodem ex Themistio. Intellectus non potest esse singularis; nam secus non posset recipere speciem

(1) S. Thom., Contr. Gent. lib. 2, cap. 73, Amplius, ab eodem..., ubi statim solvitur difficultas contra hoc argumentum facta.
 (2) In opus. De unit. intellect.
 (3) Loc. cit.
 (4) Apud cardin. Toletum, loc. cit., Probatur etiam secundo. Cfr. S. Thom., 1 p. quæst. 76, art. 2, arg. 1.^o

universalem, nec intelligere universale. Atqui recipit speciem universalem, et intelligit universale. Ergo necesse est dicere intellectum esse universalem, seu unum in omnibus et abstractum (1).—Respondeo. *neg.* artec. Et ad probationem *dist.* primum membrum Majoris. Si intellectus esset singularis, non posset recipere speciem universalem tum in essendo, tum in representando, *conc.*; sed *nego* suppositum, quod nempe detur species illa universalis in essendo. Si intellectus esset singularis, non posset recipere speciem universalem in representando, quæ tamen est singularis in essendo, *neg.* Tum *neg.* alterum membrum.

Contradisting. primum Minoris membrum; alterum, *conc.*, et *neg.* conseq. Ut vides, totum argumentum nititur in præpostera intelligentia universalis speciei et conceptus: nam et species et conceptus, qui dicitur universalis est accidens spirituale et entitative singulare, nec dicitur universalis nisi in representando, seu quia representat rem sine notis individuantibus, ut constat ex alibi dictis de natura universalis (2).

Objic. 4.^o Si animæ rationales sint multæ in hominibus, oportet, quod remaneant multæ, corruptis corporibus. Atqui in eo statu separationis non possunt esse multæ intra eandem speciem seu multæ numero, nam non habent materiam, per ordinem ad quam distinguantur. Ergo si animæ rationales forent multæ, solutæ a corpore specificè differrent. Atqui per solam separationem a corpore non mutant speciem. Ergo si post separationem specificè distinguuntur, etiam in statu informationis distinguebantur: et sic impossibile est, ut anima ejusdem speciei multiplicetur in diversis hominibus (3).—Respondeo, *neg.* Min. in quacumque sententia circa radicem vel causam multiplicationis numericæ intra eandem speciem: nam etiam illi ipsi, qui tenent radicem multiplicationis esse materiam vel ordinem ad materiam, respondēt averroïstis, animas, cum primum create sunt, destinatas jam esse ad informandam hanc numero

(1) Cfr. S. Thom. 1. p. quæst. 76, art. 2, arg. 4.^o

(2) Vide *Logic. Major.* pag. 700, 701, ubi hanc doctrinam ab Aquinate traditam reperies.

(3) Apud S. Thom., quæst. *de anim.*, arg. 15.

materiam, ad quam proinde retinent essentialē ordinem etiam post separationem. Qui vero radicem multiplicationis numericæ petunt ex naturali formarum creaturarum limitatione non egent hujusmodi recurso ad solvendam difficultatem pro quibus simpliciter falsum est dicere formas non posse numericè multiplicari intra eandem speciem etiam sine ordine ad materiam. Quæ de re in sequenti articulo nonnihili.

Objic. 5.^o Hec est S. Augustini sententia (1): *De numero animarum nescio, quid tibi respondeam. Si enim dixerō unam esse animam, conturbaberis, quod in altero beata est, in altero misera: nec una res simul beata et misera esse potest. Si unam simul et multas esse dicam, ridebis, nec facile mihi, unde, tuum risum comprimam, suppetit. Si multas tantummodo dixerō esse ipse me videbo, minusque me mihi displicentem, quam tibi proferam.* Videtur ergo esse derisibile in pluribus hominibus esse plures animas (2).—Respondeo cum S. Thoma, quod Augustinus se derisibilem proficitur, non si dicat multas animas, sed si dicat multas tantum, ita scilicet, quod sint multæ et secundum numerum et secundum speciem (3).

Plures alias objectiones averroïstarum solutas videre potes apud S. Thomam in superius laudatis locis.

§ II.—UTRUM EADEM ANIMA SUCCESSIVE SIT IN DIVERSIS CORPORIBUS, UBI DE *Metempsychosis* vel *palingenesia*.

199. Averroes posuit etiam animam rationalem esse simul in omnibus prois hominibus: alii non unam, sed plures animas rationales voluere, sive a Deo creatas, sive ex divina substantia manantes, quas tamen successive ab uno in aliud corpus migrare autumabant; quorum doctrina *metempsychosis* (μετεψυχωσις) et etiam *metempsychosis*, *palingenesia* *præexistentianismus* audit, idemque quoad rem sonat, ac transmigratio animarum. Substratum, ut ita dicam, erroris hujus opinionis in eo stat, ut animæ non tum existere incipiant, cum in corpus aliquod adveniunt, sed longe antea

Systema metempsychosis describitur.

(1) S. August. *De quantis, anim.*, cap. 12.

(2) Apud S. Thom., quæst. *de anima*, art. 2, argum. 2.^o

(3) S. Thom. *ibid.*, ad 2.^{um}

præexiterit (1). Nam animæ hominum secundum Platonem, Philonem judæum, Originem ejusque assecelas, Priscillianistas, Scotum Erigenam, et Kant, Steffens atque Hirscher (2), et recentiores Spiritistas (3), sunt iidem angeli pravi, qui in pœnam sui peccati in corpora detrusi sunt, ac postea corpore uno corrupto, in aliud migrant per successivas *reincarnationes*. Doctrinam hanc de animarum transmigratioe dicitur ab ægyptiis accepisse Pythagoram (4), quam præter Pythagoreos, in quibus est v. gr. Apollonius Tyaneus, et Empedoclem (5) tenuit Plato (6), quem secuti sunt Porphyrius, Photinus, Manichæi (7), et Carpocratiani (8), Priscillianistæ (9), atque Origenistæ (10), Cathari (11), et alii (12). Ex Platone atque ex hebræis Theologis (13), dicuntur etiam idem hausisse dogma primis Ecclesiæ temporibus quidam Patres, Patres præter Origenem (14), ut Nemesius (15), Joannes

ejusque assecutores referuntur, veteres Philosophi,

quidam Patres,

(1) Sive ab æterno, ut Platoni et Manichæis, sive in tempore, sed ante corpora creatæ, ut Origeni placuit. Vide S. Thom., *Contr. Gent.* lib. 2, cap. 83, *Quidam vero catholicam*.

(2) Apud Katschthaler, op. cit. pars. 2.^a, sect. 2, cap. 3, art. 1, num. 230.

(3) Vide Katschthaler, *Theolog. dogm.* pars. 2.^a, sect. 2, cap. 3, art. 1, num. 230.

(4) Vide Diodorum Siculum apud Euseb., *De præparat. evangel.* lib. 10; Plutarchus vero (*in Homero*) scribit Pythagoram hanc sententiam ab Homero didicisse.

(5) Vide Laertium, lib. 8.

(6) Vide Laert. lib. 3. Cfr. S. August. *Contr. Julian.* lib. 2, cap. 7.

(7) Vide S. August. *de Genes. ad litt.*, lib. 7, cap. 11; S. Hieron., *quest.* 38, *de errore Joann. Hierosolimit.*

(8) Vide Theodoret., *Hæreticarum fabularum*, lib. 1, in *Carpocrate*.

(9) Vide S. August. *Hæres.* 70; S. Leon. *epist. ad Turib. asturicensis* (Denzinger num. 107).

(10) Vide canones Concil. V. œcumenico attributos contra Origenistas, apud Denzinger, num. 187 seqq. Cfr. Hefele, *Histoir. des Conciles*, tom. 3, lib. 13.

(11) Vide Moneta, *Adv. Cathar.*, 1, 6; Raiser, *Adv. Cathar.*

(12) Apud Klee, *Manuel de l'histoire des dogmes chrétiens*, tom. 1, 2 part. chap. 3, num. 15, pag. 453, Parisiis 1848.

(13) Vide Rev. Dom. Bertrand *Dictionnaire universel des sciences, etc.*, publié par M. l'Abbé Migne, tom. 3, ad vocem *Métempsychose*.

(14) *πρὸς Ἀρχόν.* et *Adversus Celsum*.

(15) *De natura hominis*, cap. 2. (Migne, *Patrolog. grec.* tom. 40.)

Hierosolimitanus (1), et alii (2), qui tamen excusandi omnino sunt, tum quia nonnulli solam forte præexistentiam animarum tenuerunt, tum quia eo tempore scripserunt quando nondum extabat certum de perplexissimâ questione judicium Ecclesiæ. Potuerunt etiam quidam fortasse moveri ex auctoritate Origenis, cui doctrina illa, sive vere sive falso, tribuebatur (3). In aliis quoque populis veteribus communissimam fuisse putatur metempsychosis opinionem, ac nominatim apud Indos Sinenses, Persas, Ægyptios, Germanos, Celtas, Druidos aliosque populos et nationes (4). Et quamquam doctrina catholica Ecclesiæ ac Patrum hunc, sicut alios multos errores, splendore suæ veritatis dissipaverit, non defuerunt tamen unus aut alter, qui illum in scœnam producerent, ut prædictus Scotus Erigena et Bernardus Carnotensis (5), quem postea sequutus est socinianus Sand (6), a qua nec ipsemet

qui tamen solam præexistentiam sine aliis erroribus tradiderunt.

Varie nationes.

quidam alii posteriores scriptores

(1) S. Hieronym. *Epistola* 38.

(2) Apud Henric. Klee, *Manuel de l'histoire des dogmes chrétiens*, tom. 1, 2.^a part. chap. 3, pag. 403.

(3) Etiam S. Agustinus (in lib. 7 *de Genesi ad litter.* cap. 24 seqq.) scripsit initio corpora quidem in seminalibus rationibus, animas vero rationales, simul cum angelis actu creatas esse (Cfr. S. Thom. 1. p. quest. 60, art. 4), quin tamen alios Origenistarum misceret errores. Verum hæc de animarum præexistentia assertio, aut non est definitive prolata a S. Doctore, quemadmodum interpretatur S. Thomas (loc. nup. cit.) aut una ex illis est, de quibus ipsemet S. Agustinus jam senex (lib. 2 *Retract.*, cap. 24) ita scripsit: *In quo opere (de Genesi ad litter.) plura quæsitâ quam inventa sunt, pauciora firmata; cætera vero ita posita, velut adhuc reguenda sint.* Ac tandem sententiam saltem de prævia existentia animarum in aliis operibus reliquit, ut v. gr. lib. 11 *de Trinit.*, cap. 15; et *de Civitat. Dei*, lib. 12, cap. 23, ubi hæc habet: *Et cum virum terreno formasset ex pulvere, eique animam, qualem dixi, sive quamjam secerat sufflando indidisset, sive potius sufflando fecisset, eumque flatum, quem sufflando fecit (nam quid est aliud sufflare, quam flatum facere) animam hominis esse voluisset, etiam conjugem illi, adjutorium generandi, ex ejus latere osse detracto, fecit ut Deus (S. August. *De Civit. Dei* lib. 12, cap. 23).*

(4) Vide Bertrand, *Dictionnaire universel, historique et comparatif de toutes les religions du monde*, publié par M. l'abbé Migne, tom. 3, ad vocem *Métempsychose*.

(5) Apud Henric. Klee, loc. cit., pag. 405.

(6) *Tractat. de origine anim.*, Cosmopoli 1671.

et spiritualitatis
eundem
accusatur
errorem.

Lockius abhorruit (1). Nostris vero diebus ea in deliciis est spiritibus, aliisque, in quibus nominari possunt personatus Allan-Kardee (2), Joannes Reynaud in suo opere *Ciel et Terre*, damnato a concilio Petrocorensis (*Perigueux*) anno 1857, quem secutus est Camillus Flammarion (3), et recentius advocatus Lugdunensis, Andreas Pezzani, qui undique conquisitis patronis, et congestis gratuitis suppositionibus, falsis interpretationibus absurdisque argumentis, sæpius damnatum et explosum systema redintegrandum assumpsit. Hujus et Flammarionis commenta fuscè refutavit canonicus Ecclesiæ Valentiniæ, Dr. Anicetus A. Perujo (4).

Quemam
corpore
inagredentur
animæ
migrantes
secundum
istarum
hominum
placita.

Jam quod attinet corpora, in quæ animæ humanæ migrant, multi Pythagorei ac Platonici dicuntur docuisse, animas, si in humano corpore improbam duxissent vitam, in brutorum corpora pro qualitate criminum, immitti; et sic iracundos in serpentes converti, rapaces in lupos, audaces in leones, dolosos in vulpes, temulentos et inhonestos in asinos et porcos, atque ita porro (5). Porphyrius vero (6), Jamblicus (7), Nemesius aliique revolutiones animarum intra hominum duntaxat corpora constituerunt. Unde quidam sentiunt (8) veteres illos Philosophos reapse noluisse animarum

(1) Ut ostendit productis locis P. Salvator Maria Roselli, *Summ. phitos.*, tom. 5, num. 613 in nota.

(2) Verum nomen ejus est Hippolyte Leon Benizard Rivail.

(3) *Pluralité des mondes*, livr. 5, chap. 3; et in alio opere *Lumen*.

(4) *La pluralidad de mundos habitados*, cap. 17, pag. 327 seqq. Madrid 1877; et in integro libro *La pluralidad de existencias del alma*. Madrid 1880.

(5) Vide Theodoret. (sermon. 11 de curandis græcan. affectionibus); Nemesium (*de natur. homin.* cap. 3); Coimbricenses (*de generati et corrupti*. lib. 2, cap. 11; et *de anim.*, lib. 2, cap. 1, quest. 7, art. 1).

Indè quoque ortum habuit dogma illud Pythagoreorum, qui magnum scelus esse prædicabant pecorum carnibus vesci; ne, ut Tertullianus in Apologetico contra Gentes cap. 48 ait, bubullam de aliquo proavo quisquam obsoraret. Coimbricenses, *de anim.*, lib. 2, cap. 1, quest. 7, art. 1.

(6) S. August., *de Civit. Dei*, lib. 10, cap. 3.

(7) Apud Nemesium, loc. cit.

(8) Vide Coimbric., *de generati et corrupti*, lib. 2, cap. 11, quest. 1, art. 1.

in pecudum corpora transmigrationem tradere, sed rebus fictis adumbrasse, quo pacto homines moribus depravatis naturam quodammodo exuant hominis, et in bestias mutantur.

Simili modo relate ad terminum istarum transmigratorum non una est omnium sententia. Inde transmigratorum animarum ita posuerunt, ut animæ post quemdam numerum *reincarnationum* propriam existentiam individualet et personalem amitterent, secundum Brahmanes quidem per absorptionem in sinum Brahmi, unde egressæ fuerant per creationem, quam doctrinam quodammodo videtur renovasse Origines per suam *ανακαταστάσις* seu restitutionem, et postea Ekkardus (1), secundum Budhistas vero per reditum in Nirvana seu nihilum (2). Quamquam non desunt, qui putent hoc nomine budhistas non intelligere veram annihilationem animæ, sed potius *apathiam* quamdam et quietem vel tranquillitatem omni vacuum perturbatione, in qua beatitudinem reponant (3). Pythagorei autem et cæteri veteres animas post successivos transitus ab uno in aliud corpus,

Varie sententia
circa
terminum
transmigra-
tionis.

(1) En canon 12.^{us} Conc. V contra Originem: *Si quis dixerit, quod ununtur Deo Verbo per omnia similiter caelestes virtutes, et omnes homines, et diabolus et spiritualia nequitia, ut ipsa Mens, quæ dicitur ab ipsis Christus, et quæ in forma Dei est, et exinanivit, ut ajunt, semetipsam; et quod finis erit regni Christi, anathema sit.* (Apud Denzinger, pag. 61, num. 108).

Et canon 14.^{us} ejusdem Concilii: *Si quis dixerit, quod omnium rationalium unitas una erit, hypostasi et numero sublatis una cum corporibus; et quod cognitionem rationalium sequitur mundorum inieritus et depositio corporum et nominum abrogatio; quod identitas futura est cognitionis, quemadmodum et hypostaseon; et quod in fabulosa restitutione futuræ sunt solæ mentes nuda; quemadmodum in illa, quam delirantes fingunt præexistentia fuerunt; anathema sit.* (Apud Denzinger, pag. 62, num. 200). Hæc vero est una ex propositionibus Ekkardi, ordine 10.^a a Joanne XXII, anno 1320 damnata. Nos, inquit, *transformamur totaliter in Deum, et convertimur in Eum: sicut in Sacramento Eucharistiæ panis convertitur in Corpus Christi, sic ego convertor in eum, quod ipse operatur me sum esse unum, non simile* (Apud Denzinger, num. 437, pag. 142).

(2) Cfr. Card. Gonzalez, *Historia de la Filosofía*, tom. 1.^o, paragr. 12.

(3) Vide Colebrook, apud *Encyclopédie Théologique... publiée par M. l'Abbé Migne*, tom. 3, ad vocem *Nirvana*.

cum peccata sua eluissent, cum sua propria existentia ad felicitatem admittebant. Plures recentiores cum Petro Leroux et Joanne Reynaud, rationalismo imbuti, et somnia sectantes progressus et indefinita perfectibilitatis humanae, terram et caetera sidera esse putabant loca, in quibus animae magis magisque se perficiant sine fine; et in hoc reponunt etiam immortalitatem animae (1), ut nempe vitam degant in aliis, et aliis corporibus perfectiorem (2). Quamquam negant Reynaud, Leroux alique aeternitatem animae (3). Paulo aliter rem se habere volunt spiritistae, quibus, sicut Origenistis, nulla est naturae diversitas inter angelos, daemones et humanas animas: omnes sunt ejusdem essentiae, inquam, et omnes purgantur, magisque perficiuntur, vitam in aliis et aliis corporibus degentes, donec tandem metam assecute perfectionis, statum puri spiritus obtinent (4).

(1) «Consiste esta inmortalidad (ex mente Joannis Reynaud aliorumque) en la vida infinita, ó al menos indefinida, del alma en esta tierra que habitamos, y en el ciclo, ó sea en los innumerables globos y astros, que en union con la tierra integran el universo. La tierra es pues para nuestra alma un lugar de expiacion y de regeneracion, y la vida presente del hombre, precedida de otras vidas anteriores, y seguida de otras innumerables, no es más que un anillo de la cadena infinita, que representan las múltiples transformaciones del alma. De manera que la vida presente de ésta, sus vidas anteriores y sus vidas futuras, son como otros tantos momentos de la ley del progreso encarnada en la humanidad. El paraíso y el infierno de la Teología cristiana son quimeras de la imaginación, y quiméricas son igualmente las afirmaciones de ésta acerca de la espiritualidad del alma humana, la cual ni existe, ni puede existir sin algun cuerpo más ó ménos sutil...» Card. Gonzalez, *Historia de la Filosofía*, tom. 4, párrafo. 50, pag. 247 y 248.

(2) «D'après ce livre (*Terre et ciel*, de Jean Reynaud) la terre n'est que le lieu de l'une des existences en nombre indéfini, que nous devons successivement parcourir. Nous avons existé déjà lorsque nous vivons ici-bas; nous existerons encore, et toujours de plus en plus parfaits, dans les différents mondes, en nombre indéfini... il n'est point d'esprits purs, dépourvus de tout corps, tels que la majorité des Theologiens s'est figuré les anges: il n'est point de vie... même en Dieu... immatérielle.» Apud Ravaisson, *La Philosophie en France au XIX siècle*, pag. 50, edit. Paris 1880.

(3) Cardinal Gonzalez, loc. cit. sup. pag. 248.

(4) Necessesse non est omnes Spiritistarum opinandi varietates referre. nolo tamen tacitus pretereire deliria Ludovici Figuier, qui eo

200. PROPOSITIO 1.^a Rejicienda est prævia animarum existentia.

Probari 1.^o posset ex auctoritate S. Leonis I in sua mox laudanda epistola dogmatica, in qua cum retulisset in decimo capitulo errorem Priscillianistarum, hæc subjungit: *Quam impietatis fabulam ex mullorum sibi erroribus texuerunt, sed omnes eos catholica fides a corpore suæ unitatis abscondit, constanter prædicans atque veraciter, quod animæ hominum priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere nec ab alio incorporantur, nisi ab Opifice Deo, qui et ipsarum creator*

Rejicienda
est prævia
animarum
existentia

temeritatis et impudentiæ devenit ut asseruerit animas in supremo perfectionis gradu solem habitare, eidemque fomentum præbere, quo calorem et energiam perpetuo conservet, terram interea caeterosque planetas elluviâ vite, sensus et cogitationis animantes!! «Si pendant son séjour ici bas l'âme humaine a perdu de sa force et de ses qualités, si il a été le partage d'un individu pervers, elle ne quittera pas la terre. Après la mort de cet individu, elle ira se loger dans un autre corps humain, en perdant le souvenir de son existence antérieure. Ces réincarnations dans un corps humain peuvent être nombreuses. Elles doivent se répéter jusqu'au moment où les facultés de l'âme se sont assez développées, où ses instincts se sont assez améliorés et perfectionnés... Alors seulement cette âme pourra quitter la terre et s'élaner dans l'espace pour passer dans l'organisme nouveau qui fait suite à celui de l'homme dans la hiérarchie de la nature... L'espace où habitent les âmes ainsi justifiées est occupé par l'éther, l'éther planétaire... Elles ont un corps... mais ce corps doit être pourvu de qualités infiniment supérieures à celles qui sont l'apanage du corps humain... Après un intervalle dont nous n'essayerons pas de fixer la durée, l'être surhumain meurt et son âme entre dans un corps nouveau, orné de facultés encore plus puissantes... Et ce n'est pas à une troisième et à une quatrième génération que peut s'arrêter la chaîne des créations sublimes que nous entrevoyons flottant dans l'infini des cieux. Après avoir parcouru cette longue succession d'étapes et de stations dans les cieux, les êtres que nous considérons doivent arriver finalement en un lieu... Ce lieu, terme définitif de leur cycle immense à travers des espaces, selon nous, c'est le soleil... Ce qui entretient la radiation solaire, ce sont les arrivées continuelles des âmes... dans le soleil. Ces ardents et purs esprits viennent rem placer: les émanations continuellement envoyées par le soleil à travers l'espace sur les globes qui l'environnent... Les êtres spiritualisés réunis dans le soleil envoient sur la terre et sur les planètes des émanations de leur essence, c'est-à-dire

est et corporum (1). Quamvis enim occasio hujus assertionis fuisse videntur errores Priscillianistarum, nihilominus definitio absoluta et perspicua est.

Prob. 2.^o Præexistentia animarum bifariam deiendi potest. A) in hypothesi quod animæ dicantur prius creatæ cum ipsis Angelis, ut remaneret separata, quasi essent, sicut illi, spiritus puri, et mox contra naturalem destinationem ac finem corporibus alligarentur: B) ita ut animæ sint formæ ad informanda corpora naturaliter ordinatæ. Atqui in utraque hypothesi repugnat prævia animarum existentia. *Probo Min.* per partes.

A) Rejicitur prævia existentia animarum in hypothesi, quod illi sint spiritus puri, et mox ad corpora informanda immittantur. 1.^o quia hæc hypothesi, saltem prout a multis asserta, supponit animas humanas esse ejusdem perfectionis specificæ. Atqui hoc falsum est, ut postea probabitur (2), 2.^o Unio animæ, ut inferius demonstrandum erit, est naturalis. At non posset esse naturalis in ea hypothesi. Nam anima foret tunc substantia completa, ac proinde ens per se, non habens ordinem ad junctionem corporis. Atqui substantia completa, et non habens naturalem ordinem ad unionem nequit cum corpore naturaliter et substantialiter uniri, ut patet. 3.^o Hinc vero sequeretur unionem animæ cum corpore fore contra naturam animæ, ac proinde compositum inde resultans, seu homo, non esset ens per se. Atqui hoc falsissimum est; tum quia videtur esse aperte contra experientiam, siquidem tot tantaque præ se fert homo indicia entis vere unius per se, quot quantaque quodlibet aliud ens corporeum; tum quia repugnat, ut præstantissimum opus naturæ sensibilis sit ens per accidens et innaturale; tum quia terminus generationis naturalis debet esse aliquid ens per se ac naturale; homo autem est terminus generationis naturalis. 4.^o Si anima ideo præexisteret ante corpus, quia non erat

des germes aninés qui distribuent sur les planètes la vie, l'organisation, le sentiment et la pensée. Figuiet, in suo damnato opere, cui titulus. *Le lendemain de la mort ou la vie future selon la science* (?). apud Rev. Dom Moigno, *Les splendeurs de la foi*, tom. 2, pag. 489.

(1) S. Leo I, Epistol. 15, cap. 10.

(2) Vide S. Thom. 1 p. quest. 118, art. 3.

ordinata ad unionem cum eo, sed ut esset separata ceu purus spiritus, reddenda esset ratio, cur tandem corpori fuisset unita. Atqui nulla idonea hujus rei afferri potest ratio.

Sane vel unio facta est α) primo sponte atque ex propria ipsius animæ voluntate; vel secundo β) invite, nempe in pœnam alicujus peccati, quod in statu separationis patriverit, ut commentus est Origenes; vel tertio γ) ex divina ordinatione: non enim alia causa occurrit. Atqui nihil horum nisi absurde dici potest.

Et probo per partes. α) *Anima non est unita corpori sponte atque ex propria voluntate.* Primo, quia ex morte, quæ omnibus accidere generatim solet contra propriam voluntatem, patet unionem non dependere ex animæ nostræ arbitrio. Deinde inutile est velle, quod est contra naturam ipsam. Præterea nulla afferri potest causa, quid post tot annos separationis animam, substantiam videlicet de se completam ac perfectam in sua specie, secundum adversarios, allicere ad unionem cum corpore potuerit. Anima enim non egebat corpore ad intelligendum, in contraria hypothesi: si autem natura ipsa providisset unionem, nec fuisset expectanda voluntas hominis. Ergo nulla est ratio, cur vellet anima uniri corpori. Immo vero debuisset omnino a tali unione valde deterreri, quia in ea hypothesi animæ multum deprimebantur per unionem, ex qua præterquam quod innumeris ærumnis obnoxie fiebant in statu unionis, id securum erat, ut et penitus obliviscerentur eorum omnium, quæ prius eas scivisse docent adversarii, et impedirentur veritatem in sua puritate contemplari, et adigerentur ad cognoscendas res longe imperfectius, nimirum per conversionem ad phantasmata. Hic enim cognoscendi modus, quamvis naturalis est et conveniens animæ rationali, quæ sit substantia incompleta et naturalis forma corporis, prout tenet vera sententia, valde imperfectus foret animæ, quæ de se esset purus spiritus, nullum habens ordinem ad unionem cum corpore. *Non potuit ergo anima volens seu ex propria electione uniri nisi decepta, deceptionis autem nulla causa afferri potest, cum adversarii dicant animam habuisse prius omnium scientiam* (1). Denique

(1) S. Thom., *Cont. Gent.*, lib. 2, cap. 83. *Si autem dicat, quod neque per violentiam.* Cfr. 1 p. quest. 118, art. 3; *de potent.*, quest. 3, art. 10.

unio animæ in eadem hypothese pure casualis et fortuita esset, quia ad eam peragendam deberent simul concurrere veluntas ipsius animæ et hominis generantis (1).

β) *Non est unita corpori anima in pœnâ ullius peccati:* tum quia id gratis asseritur, quandoquidem nec naturalis ratio nec revelatio ullum præbet fundamentum ita opinandi cum tamen revelatio doceat nos peccatum primi hominis; nec demum habet ullus hominum memoriam talis peccati, commissi ab anima in statu separationis, nec afferri ratio potest, cur oblitæ illius fuissent animæ. Tum quia e converso debuissent illæ recordari peccati sui, ut pœnitentiam agerent et sic purgarentur, Tum quia, docente S. Thoma pœna... *bono naturæ adversatur, et ex hoc dicitur mala... Si igitur unio animæ et corporis est quoddam pœnale, non est bonum naturæ, quod est impossibile; est enim intentum per naturam, nam ad hoc generatio naturalis terminatur* (2). Tum quia iterum sequeretur, quod esse hominis non esset bonum secundum naturam cum tamen dicitur post hominis creationem (3): *Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona* (4).

γ) *Anima non est unita corpori contra naturalem institutionem ex divina ordinatione.* Primo, *unumquodque enim Deus instituit secundum convenientem modum suæ naturæ; unde et Genesis 1.^o de singulis creaturis dicitur: Vidit Deus, quod esset bonum, et simul de omnibus: Vidit cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona. Si igitur animas creavit a corporibus separatas, oportet dicere, quod hic modus essendi sit convenientior naturæ earum. Non est autem ad ordinationem divinæ bonitatis pertinens res ad inferiorem statum reducere, sed magis ad meliorem promovere. Non igitur ex divina ordinatione factum fuisset, quod anima corpori uniretur* (5).

(1) S. Thom. 1 p. quæst. 118, art. 3. Cf. *Contr. Gent.*, lib. 2 cap. 83, *Præterea omnis effectus præcedens.*

(2) S. Thom., *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 83, *Sed hæc positio stare non potest.*

(3) *Genes.*, cap. 1, vers. 31.

(4) S. Thom., *ibid.*

(5) S. Thom., *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 83, *Si autem rursus dicitur.*

Præterea non pertinet ad ordinem divinæ sapientiæ, cum superiorum detrimento, ea, quæ sunt infima nobilitare. Infima autem in rerum ordine sunt corpora generabilia et corruptibilia. Non igitur fuisset convenienter ordini divinæ sapientiæ, ad nobilitandum humana corpora, animas præexistentes eis unire, cum hoc sine detrimento earum esse non possit, ut ex dictis patet (1).

β) *Rejicitur prævia animarum existentia in hypothese, quod illæ dicantur esse formæ ad informanda corpora naturaliter institutæ.* 1.^o Nam animæ ita creatæ, antequam corpori infunderentur, vel habebant in eo separationis statu aliquam operationem intellectus et voluntatis, vel nullam. Si nullam, cur creatæ sunt, ut sic essent prorsus otiosæ, et cur non dilata est earum creatio, donec parata esset materia informanda? Si habebant operationem, cur nulla remanet omnino memoria eorum, quæ animus tunc cogitaverat, vel voluerat? Cur nunc unicuique non sine experientia et longo labore res omnes et scientias addiscere necesse est? Dices cum Platone nos reapse nihil de novo addiscere, sed tantum *reminisci*, quia ope phantasmatum excitantur species rerum, quas noverat mens in primo illo statu (2). Respondeo id omnino gratis et contra sensum omnium communem asseri. Deinde quæcumque *reminiscimur* deprehendimus nos olim didicisse, aut scivisse; nemo autem, quem ego sciam, cum res addicit, deprehendit illas se olim novisse in aliquo alio statu, priusquam hoc præsens corpus haberet. Denique *reminiscentia* supponit, vel importat incompletam rei memoriam: nimirum cum *reminiscimur*, partim recordamur, partim oblitusumus, et ex eo, quod recordamur nos olim novisse, comparando et indagando conamur etiam in memoriâ revocare aliquid aliud, quod nos pariter scivisse pro certo habemus, sed jam non recordamur; quid illud sit: in hoc enim stat ratio *reminiscentiæ* (3). Atqui nihil simile accidit, cum scientias de novo addicimus. Ergo...

Rejicitur 2.^o prævia animarum existentia in hypothese, quod illæ sint naturaliter ordinatæ ad informanda corpora:

(1) S. Thom., *Contr. Gent.*, loc. nup. cit.

(2) Vide *Logic. Maj.*, num. 231, pag. 847.

(3) Vide *Psycholog.*, vol. 2.^{us}, num. 213, pag. 754.

quia, manifestum est, quod Deus primas res instituit in perfectione statu suae naturae, secundum quod uniuscuiusque rei species exigebat. Anima autem, cum sit pars humanae naturae, non habet naturalem perfectionem, nisi secundum quod est corpori unita. Unde non fuisset conveniens animam sine corpore creari (1). Unde non apparet ulla ratio, cur anima rationalis cum sit forma corporis ante ipsum corpus creari et existere debeat.

201. PROPOSITIO 2.^a Amandanda est in numerum animalium fabellarum haereticis opinio eorum, qui autumant animam rationalem ab uno in alia corpora transire, ut vitam in illis successive degat.

Exceditur
metempsychosis vel
transmigrationis
doctrina.

Probatur 1.^o ex ecclesiastica doctrina, quam cognoscere oportet, ne quis decipiatur, nostris praesertim temporibus, absurdis commentis spiritistarum et caeterorum hominum, qui explosa dudum atque oblivione deleta somnia, quasi novissimae scientiae inventa eruere ex antiquitatis rudibus non erubescunt. Itaque opinio, quam impugnamus, non semel damnata est ab Ecclesia.

α) En epistolae dogmaticae S. Leonis ad S. Turibium Asturicensem decimum capitulum: *Decimo autem capitulo referuntur asserere animas, quae humanis corporibus inseruntur, fuisse sine corpore et in caelesti habitatione peccasse, atque ob hoc a sublimibus ad inferiora delapsas, in diversae qualitatibus principes incidisse, et per aereas ac sidereas potestates, alias duriores, alias mitiores, corporibus esse conclusas, sorte diversa et conditione dissimili: ut quicquid in hac vita varie et inaequaliter provenit, ex praecedentibus causis videatur accidere* (2). Post quae verba S. Doctor addit ea, quae in praecedenti propositione scripta reliquimus. Idem probant canones contra Originem Concilio V attributi, quorum primus sic se habet: *Si quis fabulosam animarum praesistentiam, et quae ex illa consequitur, monstrosam restitutionem asseruerit; anathema*

(1) S. Thom., 1 p. quæst. 90, art. 4.

(2) Vide Denzinger, num. 107, pag. 30. Cfr. Concil. Bracharens. num. 1.^{us} cap. 6.

sit (1). Et quartus: *Si quis dixerit rationalia refrigerata a divina charitate, crassis corporibus, qualia sunt nostra, illigata fuisse, et homines vocata, alia vero cum ad summum malitiae pertigissent, frigidis tenebrosisque alligata esse corporibus; atque tum esse, tum appellari demones, sive spiritalia nequitiæ; anathema sit* (2). β) Eugenius IV in Concilio Florentino: *Item si vere poenitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatorii post mortem purgari: et ut a poenis huiusmodi releventur, prolesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes et elemosinas et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta. Illorumque animas, qui post baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurserunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam vel in suis corporibus, vel eisdem exuta corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatae, in caelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritum tamen diversitate alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas* (3). Quod eisdem ferme verbis continebatur in confessione Fidei, Michaeli Paleologo a Clemente IV proposita (an. 1267) (4): itemque in professione Fidei Graecis a Gregorio XIII praescripta, per Constitutionem *Sanctissimus Dominus noster* (5). In hisce documentis diserte dicuntur animae hominum de corporibus egressae vel in inferos detrudi, vel in purgatorio purgari, et omnes, quae nulla iam turpantur macula, quia eam vel in hac terra adhuc corpus informantes, vel in purgatorio corporibus exuta, penitus abluerunt, mox in caelum recipi. Ergo

(1) Vide Denzinger, num. 187, pag. 57.

(2) Vid. Denzinger, num. 100, pag. 58. Cfr. ibid. can. 5, 14 et 15. Cur hi canones concilio V.^o attribuantur, docebit cl. P. Palmieri *De Deo creatore*, thes. 28, pag. 153, in nota.

(3) Conc. Florentin. bulla Eug. IV, *Laelentur caeli*, in decr. et unionis, apud Denzinger, num. 588, pag. 150.

(4) Denzinger, num. 387 pag. 133.

(5) Denzinger, num. 870, pag. 236.

aperte excluditur quævis transmigratio in alia corpora (1). Quæ doctrina ex iis locis Scripturæ ac Patrum confirmatur, in quibus docentur animam in morte hominis sisti divino iudicio, ut mox decretoriam audiat sententiam de futura sua sorte, ac promeritam accipiat mercedem (2). γ Idem contineatur in iis symbolis ac fidei professionibus, in quibus enuntiatur nos resurrecturos esse in eadem, quam nunc gestamus, carne vel corpore (3). δ Denique idem eruitur ex decreto Leonis X in œcumenico concilio Lateranensi V, ubi in Bulla *Apostolici regiminis* anima humana definitur pro corporum, quibus *infunditur*, multitudine singulariter multiplicabilis, multiplicata et multiplicanda (4). Hæc est infallibilis Ecclesiæ doctrina, quam innumeri Patres etiam professi sunt. Contrariam inter hæreses recensuit S. Augustinus (5), S. Epiphanius (6), quam rejecerunt etiam Clemens Alexandrinus (7), Tertullianus (8), Lactantius (9), S. Petrus Alexandrinus (10), Gregorius Nazianzenus (11), Basilius (12), S. Gregorius Nyssenus (13), S. Epiphanius (14), Leontius

(1) Cfr. Constit. Bened. XII, de *Visione Dei*, 4 kal. an. 1336, apud Denzinger, num. 456, pag. 144.

(2) Vide *Ecll.* cap. 11, vers. 28, 29; *Hebr.* cap. 9, v. 27; 2 *Corinth.* cap. 5.

(3) Vide Symbol. fidei forma Aquilejensi (Denzinger num. 3, p. 2), Symbol. Athan. (Ibid. num. 137, pag. 57); Symbol. fidei Concil. Toletan. XI, ann. 675 (Ibid. num. 234, pag. 73); Symbol. fidei a Leon IX propos. Petro episcopo (Ibid. num. 205, p. 104), Conc. Later. IV, de *fin. adv. albigens. et alios hæret.* (Ibid. num. 356, pag. 120), Profess. lit. Waldens. propos. (Ibid. num. 733).

(4) *Dezing.* num. 621, pag. 174.

(5) *Hæres.* 70.

(6) *Contr. hæres.* lib. 2, hæres. 64.

(7) *Stromat.* VIII.

(8) *De anim.* cap. 31.

(9) *Divinar. instil.* lib. 3, cap. 18.

(10) Apud Justinian. in epist. ad Mennam. *adv. Orig. errores.*

(11) *Orat.* 37.

(12) *Hexæm.* homil. 8.

(13) *De opific. hom.*, cap. 28, 29; in dialog. *de anim. resur.* (Migne, *Patrol. græc.* tom. 46, pag. 107, seqq.).

(14) *Epist. ad Joan. Hierosolymit.*

Byzantinus (1); fuse vero impugnarunt S. Hieronymus (2), S. Augustinus (3), S. Cyrillus Alexandrinus (4).

Prob. 2.^o Sententia transmigrationis animarum non potest probari sive a priori ex notionibus Dei, animæ rationalis, corporis aut cujuslibet alterius, sive a posteriori vel ex experientia. Ergo rejicienda est.

Antecedens patet, in primis quoad secundam partem; nam si Pythagoram et quosdam alios excipias nemo umquam dicere potuit se conscientiam habere status, quem habuerit in alio corpore (5), ex quo conicere licet paucos illos, qui contrarium dixerunt, vehementer falsos esse (6).

Probatur vero quoad primam partem. Nam in primis α) nec notionem Dei, nec attributa divina requirere transmigrationem, per se liquet. β) Non minus liquet hanc neque ex notionem corporis requiri: nullibi enim est materia ad recipiendam animam rationalem disposita, quæ præcise ab anima jam prius alibi existente exigat informari. γ) Ipsimum certissimum est de naturâ animæ: hæc enim et spiritualis et immortalis est, ut mox demonstrabitur, ac proinde capax extendi sine corpore. Ergo exigere non potest, ut ab uno corpore egressa ingrediatur, vel informet aliud. Cum potissimum anima separata a corpore possit suas operationes spirituales intellectus et voluntatis exercere. δ) Neque id postulat lex

(1) *De sect. act.* 10 (Migne, *Part. græc.* tom. 86, pag. 1266).

(2) *Epist.* 38, ad Pammach, de *erroribus Joann. Hierosol.*

(3) *Serm.* 165, num. 6, 11, *Cfr. de Civit. Dei*, lib. 11, cap. 23.

(4) *In Joan.*, lib. 1, cap. 9.

(5) Ferunt Empedoclem dicere solitum esse piscem se prius fuisse. Pythagoras vero dicebat se aliquando fuisse Ethalidem, doinde Euphorbum postea Hermotimum, post hæc Pyrrhum, quo vita functo Pythagoram fuisse factum. Vide Laertium, lib. 8. Quamvis alii aliter rem apud Gellium (lib. 4, cap. 11 *Noctium atticarum*) referant.

(6) Illa, quæ feruntur accidisse, ut quidam quasi recordarentur, in quorum animalium corporibus fuerint, aut falsa narrantur, aut ludificationibus demonum hoc in eorum animis factum est. Si enim contingit in somnis, ut fallaci memoria quasi recordetur se homo fuisse, quod non fuit, aut egisse, quod non egit; quid mirum, si quodam Dei iusto occulto iudicio, sinuntur demones in cordibus etiam vigilantium tale aliquid posse? S. Aug., *De Genes. ad litt.* lib. 7.^o, cap. 11, num. 16, pag. 285.

progressus indefiniti, quam rationalistæ ac spiritistæ invocant; quia in primis falsa est hujusmodi lex, prout ab illis assertitur: homo enim habet finem naturalem sibi præstitutum, quem non potest non, si vult, assequi, ac proinde non debet esse semper in via ad illum, et ad ulteriorem perfectionis assecutionem. Cæterum successivæ istæ revolutiones et reincarnationes, si vere darentur, prout nunc se res habent, ineptissimæ forent ad majorem, quam adversarii jactant, perfectionem comparandam; quia ut quidpiam valeret ad hunc finem, deberet anima recordari, ac retinere mente quæcumque prius didicerat. Atqui nemo potest vere dicere se scire aliqua, quæ antequam hoc corpus haberet, didicerat, sed e converso nascimur omnes in plena rerum omnium ignorantia, quam non depellimus nisi paulatim experientia, observatione, studio, disciplina. Multo denique ineptior esset ad eundem finem progressus reincarnatio animæ facta in corporibus belluinis cæterisque ordinis sive vegetalis, sive mineralis, prout asserunt multi recentiores; quia nullæ cernuntur in belluis, nedum in cæteris imperfectioribus corporibus, operationes spirituales, per quas anima rationalis perfici convenienter queat. 8) Multo minus successivæ revolutiones animæ in nova corpora admitti possunt tamquam medium ad expiationem præteritorum criminum et moralem perfectionem obtinendam. Nam ad æquam male actorum expiationem deberet, ut superius dicebam, relinquere memoria eorundem, quæ certissime non habetur in nobis: perfectio vero moralis, homine digna, non potest esse nisi in perfectissima, quam assequi potest, cognitione atque amore Dei, ad quæ jam vidimus nihil conferre posse istas reincarnationes. Accedit, quod, ut notum ex Theologia est, nullus post hanc vitam, quam in suo quisque corpore degit, supersit merendi locus. **Nec dicas** cum spiritistis reincarnationes istas inveni posse tamquam sanctionem arteacte vitæ.—Ita vero ex hoc præcise desumo novum argumentum.

Prob. 3.^o Doctrina transmigrations tollit veram legis naturalis sanctionem. Ergo absurda vel ex hoc solo capite est. **Prob. antec.** Quia negat æternitatem pœnarum, omnibusque tandem promittit felicitatis assecutionem, postquam suæ purgaverint crimina in aliis corporibus, aut etiam in inferis,

ut docebant origenistæ (1). Atqui certum est, ut alibi demonstratur, sanctionem legis naturalis dignam ac sufficientem nullam esse præter perpetuam possessionem vel privationem ultimi finis post hanc præsentem vitam secundum cujusque merita vel demerita. Cæterum reincarnationes nec pro honestis nec pro sceleratis hominibus digna esse queunt sanctio; *non pro honestis*, quia indignum sane divina largitate est animæ, quæ pro virtutis exercitatione tot tantaque passa est in corpore, novam in aliud corpus migrationem concedere, in quo novis iterum exercitanda sit curis et laboribus, *Non pro improbis*, quia hi nova corpora ingredientes facile captarent occasiones in omnis generis vitia sese ingurgitandi. Denique quicumque vel præmium ob virtutem accipit a legislatore, vel pœnas dat ob vitia, oportet ut noverit propter quid merces illi assignata sit. Atqui nemo in hoc mundo conscientiam habet arteacte in alio corpore vitæ, cujus in hoc actuali corpore remunerationem accipiat.

Prob. 4.^o Transmigrationis doctrina, prout a pluribus veteribus asserta, rationales animas æque belluinis corporibus, prout autem a recentioribus multis tradita, corporibus, quoque insensibilibus, plantarum videlicet et mineralium, alligari contendit. Atqui hoc peculiarem habet absurditatem. Nam 1.^o ex hoc sequitur animæ naturam ex se indifferentem esse ad informandum quodlibet corpus; quod sane falsissimum est; nam quævis forma pro sua specifica perfectione diversæ rationis materiam vel corpus exigit, et diversæ rationis compositum constituit, ut plane patet, nec probandum iterum est post ea, quæ hactenus in toto hoc opere tractata sunt, 2.^o Ostensum est in primo *Psychologia* volumine (2), belluas carere intelligentia; in *Cosmologia* (3) vero, non omnes mundi partes animatas esse. Atqui hæc falsa forent, admissa metempsychosi. Ergo hæc rejicienda est. 3.^o Secundum hanc doctrinam bruta et entia etiam insensibilia, quæ nempe anima rationali potirentur, jurium capacia forent, hominesque æquarent dignitate, quod quis sanus concedat? 4.^o Denique

(1) Cfr. can. 12 et 13 concilii V, adv. Originist. apud Denzinger, num. 108, 109.

(2) Vide a num. 108, pag. 834 seqq.

(3) *Cosmolog.*, num. 33, pag. 83 seqq.

sententia contraria pervertit prorsus naturale criterium ad cognoscendas res naturales. Nam nos non aliter cognoscere res possumus, nisi per externas manifestationes atque operationes. Certo autem certius est nullas in minerali, nullas in vegetali, nullas in toto regno animali cerni operationes ac manifestationes rationalis animæ. Nisi ergo abjecto legitimo de naturis rerum iudicandi criterio, animas racionales ad bruta quoque et insensibilia corpora post mortem hominis migrare dici nequit.

Prob. 5.^o Denique recentiores patrones transmigracionis negant christiana dogmata æternæ felicitatis in cælis, æternarumque pœnarum in inferis; christianam moralitatem respuunt, aliamque in ejus locum substituunt, cujus fundamentum est officium explendi passiones ac naturales concupiscentiæ propensiones, vitando mortificationem, et abnegationem a Christo Domino et ejus Ecclesia traditam (1): quo jacto principio, quam aliam nisi suam moralitatem consequi necesse est?

Solvuntur
questionem
objectiones.

202. **Objic. 1.^o** «Opus creationis præcessit opus distinctionis et ornatus (2). Sed anima est producta in esse per

(1) «La moral, dicen en sustancia estos reformadores, debe estar en armonía con la naturaleza del hombre; la moral como medio de alcanzar y poseer la felicidad á que el hombre aspira, debe favorecer las inclinaciones, los instintos, las pasiones, puesto que son movimientos espontáneos de la naturaleza recibidos de Dios, cuya satisfaccion no puede ménos de ser conforme por consiguiente al órden natural y al órden divino. Luego debe rechazarse como absurda y contraria á la naturaleza misma de las cosas esa moral del Cristianismo, que proclama y ensalza la represion de los malos instintos, la subordinacion de las pasiones á la ley y á la razon, la abnegacion de sí mismo, el sacrificio y la sujecion de la carne al espíritu. Luego es preciso también reconstruir la sociedad sobre nuevas bases, toda vez que la organizacion actual lleva consigo la represion, la violencia, el obstáculo para el libre desarrollo de las pasiones. Es preciso abolir la propiedad y la familia, porque respetar ó abstenerse de la posesion de los bienes de otro, de la mujer de otro, entraña violencia, represion, existencia de obstáculos para satisfacer la inclinacion natural, el movimiento de la pasion. Card. González, *Historia de la Filosofía*, tom. 4, § 51, pág. 240.

(2) Vide S. Thom., 1 p., quest. 65 in proem., et quest. 66, et quest. 70.

creationem, corpus autem factum est in fine ornatus. Ergo anima hominis producta est ante corpus» (1).—**Respondeo, dist. Major.**: opus creationis præcessit opus distinctionis et ornatus relate ad entia completa in sua specie, *conc.*; relate ad formas incompletas, *neg.* (2).

Objic. 2.^o »Anima rationalis magis convenit cum angelis, quam cum animalibus brutis. Sed angeli creati fuerunt ante corpora vel statim a principio cum corporali materia; corpus autem hominis formatum est sexto die, quando et bruta animantia sunt producta. Ergo anima hominis fuit creata ante corpus» (3).—**Respond. dist. Maj.** Si ratio habeatur entitativæ perfectionis, anima rationalis magis convenit cum angelis, etc., *conc.*; si ratio habeatur complementi naturalis, *neg.* Nam anima, utpote forma corporis, est substantia incompleta, ex qua parte magis conveniunt bruta animantia cum angelis, quia utraque sunt completæ in sua specie substantiæ. Tum *neg. cons.* (4).

Objic. 3.^o Finis proportionem servat cum principio. Sed anima, mortuo corpore, superstes est. Ergo et ante corpus initio exiit (5).—**Respondeo dist. Maj.** Nisi adsit ratio disparitatis, *conc.*; si adsit disparitatis ratio, *neg.* Et concessa Minore, *neg. conseq.* Anima, mortuo corpore, debet esse superstes propter suam immaterialitatem atque immortalitatem. Non debuit autem ante corpus existere, quia est forma corporis et substantia incompleta, quæ per suam cum eo unionem constituit ens completum: ideoque tum creari debet, cum corpus ab ea informandum secundum naturales causas disponitur.

Objic. 4.^o In *Genesis* libro dicitur: *Requievit Deus die septimo ab omni opere, quod palrarat.* Ergo nisi dicamus animas initio cunctas creatas esse, vere non requievisset Deus die septimo ab omni opere.—**Respondeo.** Sensus verborum illorum est, non quod Deus nunc nihil agat post consummationem die septimo creationis opus, cum in ipsis sacris Litteris

(1) Apud S. Thom., 1 p., quest. 90, art. 4, arg. 1.^o

(2) S. Thom., *ibid.*, ad 1.^{am}

(3) Apud S. Thom. *ibid.*, arg. 2.

(4) Cfr. S. Thom. *ibid.*, ad 2.^{am}

(5) Apud S. Thom. *ibid.*, arg. 3.^o

testetur Christus Dominus: *Pater usque modo operatur, et ego operor* (1); sed quod Deus nullum jam condat novum genus rerum. Licet ergo animæ de novo quotidie creentur corporibus informandæ, nullum genus rerum novum de novo creatur, sed tantum formæ incompletæ, quibus constituuntur novi homines ejusdem prorsus generis cum primo, Adamo, qui sexto die creatus est.

Objic. 5.^o Homo multis ærumnis ac miseriis subjicitur. Atqui hæc nequeunt explicari, nisi dicantur esse justa poena peccati alicujus ab animabus prius existentibus patrati. Ergo.

Respondeo, neg. Min. Nam omnes istæ ærumnæ possent esse naturalia consecraria naturæ atque organismi humani, ut docent Theologi, cum agunt de statu naturæ puræ, seu non elevatæ ad gratiam, in qua certe potuit homo creari. Certum enim est ex damnata 55.^a Michaelis Bajii propositione, quod *Deus... potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur* (2). Cæterum ex gratuito divinæ largitatis dono ad supernaturalem statum elevatus homo est, et in eo creatus: unde *de facto* mors et ærumnæ, quas patitur genus humanum, pœnæ sunt peccati, non quod animæ singulorum hominum ante unionem cum corpore commiserint, sed peccati originalis ab Adamo commissi, et posteris transmissi generatione, prout catholicum tenet dogma. Præterea multæ miseriæ et calamitates hominum in hac vita possunt etiam esse justa punitio Dei ob personalia eorumdem hominum crimina.

Objic. 6.^o Quidam origine ipsa sortiuntur præclariorem dispositionem ad artes et scientias. Atqui hæc dispositio nequit esse nisi vestigium habituum, quos anima in alio priori corpore degens acquisierit. Ergo.—**Respondeo, neg. Minor;** nam ejusmodi dispositiones, sicut ipsa hominum ingenia, dependent ab ipsa organismi constitutione et complexione. Sane dispositiones istæ vel sunt in ordine ad corporeas et organicas operationes, vel in ordine ad intellectuales; et priores quidem, per se patet, quo pacto debeant ab organismo. Alie vero dependant ab organismo non intrinsece et immediate,

(1) *Joan.*, cap. 5, vers. 17.

(2) Vide apud Denzinger. num. 934, pag. 246.

quia sunt operationes inorganicæ et immateriales; sed tantum extrinsece et mediate, quatenus nempe operationes intellectuales egent consortio et juvamine phantasiæ, que organica potentia est, bonam requirens cerebri dispositionem (1). Organica autem constitutio et complexio per generationem a parentibus accipitur. Quid ergo necesse est ad præviam animæ in alio corpore existentiam absurde confugere?

Objic. 7.^o Si animæ non fuerint initio cunctæ creatæ, Deus dicendus erit diu noctuque continuo creandis animabus intentus; sæpe ut opus perficiat ab homine inhoneste et libidinose inchoatum.—**Respondeo, conc. assert.** sed *neg. cons.* Deus enim infinitæ virtutis est ac sapientiæ, ut omnibus sine fatigatione provideat, et ad cuncta opera causarum secundarum concurrat, prout natura cujuslibet requirit. Quod vero Deus, creando animas cooperetur quodammodo ad opus hominum inhonestum, non magis repugnat, quam quod ad reliqua hominum peccata generali suo concursu, materialiter utique, cooperetur; qua de re alibi dicendum erit. Quædam alia objecta, nullius sane momenti, videri possunt apud S. Thomam (2).

203. **Scholium.** Solent hic nonnulli tractare questionem de principio individuationis et multiplicationis animæ rationalis intra suam speciem. In qua controversia, qui thomisticam sequuntur opinionem, que tenet radicem, cur plures animæ individua sint, reponendum esse in ordine ad hanc vel illam materiam, exinde desumunt argumentum contra metempsychosim. Si enim anima rationalis ideo est hæc individua anima, quia ordinem habet ad hanc individua materiam, non poterit informare aliam, ac proinde repugnat transmigratio. Verum opinio illa de principio individuationis formarum alijs extra scholam Thomisticam vehementer displicet, et a nobis quoque fuse alibi generatim rejecta est (3).

(1) Recole, que in *Psychol.*, vol. 2.^o sæpe scripsimus, v. g. num. 10, pag. 29 seqq; num. 11, pag. 70 seqq.; num. 178, pag. 636 fin.

(2) *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 83; *de potent.*, quæst. 3, art. 1.^o

(3) Vide *Ontolog.* num. 96, pag. 280 seqq.; num. 98, pag. 28 seqq.